

actione Solis æque singulis diebus naturalibus bis attollitur mare, bis deprimitur. Agitatio hæc multo minor est propter immensam distantiam, quam, quæ a Luna pendet: iisdem tamen legibus subjicitur, actione Lunæ ad 10. ped. actione Solis ad 2. ped. altitudinem communiter attollitur mare.

Non distinguuntur motus ab actione Lunæ & Solis pendentes, sed confunduntur, & ex hujus actione tantum mutatur maris fluxus lunaris. Quæ mutatio singulis diebus variat, propter inæqualitatem inter diem naturalem, & diem lunarem: dies lunaris naturalem 51. min. superat.